

**Animadversiones quaedam medicae circa insulas Antilles ... / auctor
Henricus-Josephus Vatable.**

Contributors

Vatable, Henricus-Josephus.
Université de Montpellier. Faculté de médecine.

Publication/Creation

Monspelli : Ex typis Josephi-Francisci Tournel, universitatis medicinae
typographi & bibliopolae, 1791.

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/xuacc8c2>

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

52490/P
ANIMADVERSIONES QUÆDAM
M E D I C Æ

CIRCA
INSULAS ANTILLES,

QUAS in augustissimo Ludovicæo Medico
Monspeliensi, pro Baccalaureatûs Gradu
consequendo, publicis subiciebat dis-
putationibus

AUCTOR

HENRICUS - JOSEPHUS Vatable ex illâ insulæ
Guadelupensis parte quæ vulgò dicitur *Saint-
François Basseterre* apud Americanos septen-
trionales, olim in almâ Artium Liberalium
Facultate Andegavenfi Laureatus, nunc cele-
berrimæ Monspeliensis Universitatis Medicæ
Alumnus.

*Pro Trimestri Januarii anni 1791 & secundæ
Libertatis.*

MONSPELII,

Ex Typis JOSEPHI-FRANCISCI TOURNEL, Universitatis
Medicinæ Typographi & Bibliopolæ.

M. DCC. XCI.

P A T R I Æ,

PARENTIBUS ET AMICIS

H A S in arte Medicâ primitias

DICAT, VOVET, CONSECRAT,



Obsequentissimus & conjunctissimus

H. J. V A T A B L E.

 ANIMADVERSIONES QUÆDAM

M E D I C Æ

C I R C A

INSULAS ANTILLES.

INSULÆ vulgò antilles nuncupatæ , apud Americanos septentrionales sub zonâ torridâ jacent , parùm à tropico cancri distantes : ex quâ positione faciliè videre est quantis quamque diuturnis obnoxii sint caloribus miseri istarum incolæ , quos diù sustinere haud valerent , ni , quodam benevolæ naturæ beneficio , oppositis duobus regulatim sese invicem excipientibus ventis refrigeraretur atmosphæra. Primus (*la brise de mer*) à nonâ decimâve matutinâ horâ ad nonam usque deci-

namve nocturnam flat , cui succedit alter (*Le vent de terre*) noctu maneque regnans (1). Præterea etiam montibus plurimæ stipantur insulæ , ex quibus quammulti fluunt fluvii rivulique per campos fertilitatem volventes , ad calores sedandos aurasque refrigerandas haud parùm conferre valentes. Isti autem venti , fluvii rivulique , dùm refrigerationem dulcemque æstus adversus vividiores inferunt solationem , magnâ fœdant humiditate aërem , adeò ut metalla ferè omnia rubiginem ac æruginem citò contrahant , animaliumque carnes diù servari haud possint (2). Refert *Zimmermann* tantam adesse in insulâ *la Jamaïque* istam aëris humiditatem , ut nunquàm ibi ad potum accedant fues.

Dux tantum in nostris prædominantes insulis observantur tempestates , æstivalis nempe valde calida cœloque ut plurimum sereno donata , & hiemalis (*l'hivernage*) minùs calida , per frequentibus ventis imbribusque turbata. Quæ duplex constitutio per nychthemeron etiam observatur , dùm sit dies in genere calidior ficciorque , frigidior autem & humidior nox. Hic quoque adnotandum venit quòd in pluribus insulis adsint loci depressi apud nos *basses terres* nuncupati , mon-

(1) Pouppé desportes malad. de St. Doming. tom. 1 , pag. 20.

(2) Quod etiam magnâ parte calori tribui debet.

tanis humidiores , infalubriores , magis vespertinis nocturnisque roribus expositi. Indè ait *Pouppé Desportes* eos melius se habere qui montanas habitationes cum nigris suis incolunt (1). Ex quibus allatis primum est concludere ad duas reduci posse aëris constitutiones apud nos regnantes , nempe ad calidam & humidam quæ per æstatem observatur , & ad frigidam humidam (2) hiemali tempore noctibusque sæpissimè obtinentem, præcipuè apud locos depressos , ut jamjam dixi. At tamen tertia adhiberi potest , scilicet moderatim calida siccaque in pluribus locis observata & præsertim in montanis.

Nunc quædam proferre liceat circa frequentiores apud nos vigentes affectus , nec-non evidentissimas quasdam causas istis ansam præbere valentes. Primò notandum venit difficiles laboriosasque sæpissimè fieri alimentorum coctiones , ratione vehementis caloris qui , ut sciunt omnes , evidentissimè ventriculi functionibus quam plurimum obstat. Et ad hoc comprobandum , ad nostra recur-

(1) *Malad. de St. Doming.* tom. 1 , pag. 21.

(2) Hoc tantum intelligi debet relativè ad validos apud nos vigentes calores. Nam strictè loquendo , nulla adest in nostris regionibus frigida tempestas , si illam quam hibernalem dicimus cum hiemali hic perſentito frigore comparare velimus.

rere climata non opus est ; in regionibus enim quæ caloris frigorisque experiuntur vicissitudines perspiciendum venit digestiones facilius vigente hieme , difficilius autem per æstatem perfici , quo tempore minuitur appetitus (1). Quod , ut more Domini *Grimaud* loquar , tribui potest vi expansivæ , evidenter dùm viget calor prævalenti , quæ plurimum ad concentrationis motus minuendos confert. Sub primo digestionis tempore fit virium concentratio ad epigastrium , undè , perfectâ digestionem , ad exteriora rursus tendunt (2). Si au-

(1) *Calidis in regionibus , multò minùs esuriunt homines quàm in frigidis.* Rouppe de morb. navig. pag. 82.

(2) *La digestion , dans toute son étendue , présente deux périodes ou deux stades bien différens ; le premier marqué par la vive concentration des forces toniques sur les organes digestifs , & le second marqué par le développement de ces forces , & leur répartition égale sur tout le système.* *Grimaud* mém. sur la nutrition pag. 88 & 89. Notatur autem concentrationis motus levi post prandium perſentito frigore , quod excipit calor motusque ad exteriora perspirationis illustratus auctione horis circiter quatuor aut quinque à prandio superveniente , quo tempore perficitur digestio. Cæterum semper & ubique concentrationis vi hancce expansionis subsequentiã perspiciendam habemus , quæ adeò constans necessariaque lex videtur , ut in febribus

tem dùm ad centrum appellantur vires , motu expansivo prædominante prohibeatur earum tendentia aut saltem difficilior evadat , tunc difficilè perficiatur digestio necesse fit. Quidquid autem sit de istâ theoriâ , factum adhuc certum quotidianâque observatione comprobatum restat , scilicet apud regionum calidarum incolas in genere difficilè perfici digestiones , quamdamque adesse veluti radicalem ventriculi vicinorumque organorum debilitatem (1) , quam ad sublevandam , infuso coffeæ spirituosisque liquoribus indulgere amant , qui ventriculi aliorumque digestionis organorum vires adaugere sustinereque valeant. Prætereà etiam dulcem post prandium obsequuntur somnum qui haud parùm naturæ consiliis favet ; nam , ut noscunt omnes , per somnum facilius evadit alimentorum coctio. Ex plurimis autem istis difficilioribus pravisque digestionibus primariis necesse est prodeant plurima systematis gastrici vitia , & inde diversi morbi ab istis nati.

intermittentibus in quibus præcipuè observandæ dantur istæ virium tendentiæ , si expansivum motum post validam concentrationem adducere non valeant vires vitales , è medio tollitur æger.

(1) *In calidis regionibus partes quæ digestionem inserviunt multò debiliores sunt quàm in frigidis.* Rouppe de morb. navig. pag. 83.

Hic etiam adnotandum venit alimenta apud insulas nostras usurpata haud tam facilis digestionis & salubria esse ac illa quæ in Europæis eduntur regionibus (1). Quod præcipuè dici volo de substantiis nigris ad victum quotidianum propinatis ut sunt v. g. farina ista è radice jatrophæ cujusdam parata , quæ *farinæ Manihot* vulgare nomen audit ; panis cum istâ confectus ; radices convulvulorum quorundam (*Patates*) sub cinere aquâve coctæ ; carnes sale conditæ ; morrhuæ siccæ ; thetæ fumo exsiccatae &c. ; quæ omnia alimenta certè sunt dura , parùm succosa , difficilis coctionis , insalubria. Istis si adjungantur calores quibus die , frigiditas humiditasque quibus nocte exponuntur miseri isti , labores diuturni quos sæpissimè verberibus maculati exercere coguntur , vapores humidi putridique undique in terris depressis exhalati , potus quandòque insalubres , ut in istis sunt depressis locis , ex aquis stagnantibus putridisque substantiis foedatis , tum non mirabimur unde tam magna malorum caterva adeò frequenter irruens eosque afficiens.

Sub calidioribus tempestatibus prædominium tenet bilis , ut observavit *Stoll* ; quod præcipuè

(1) Crassiora minusque succulenta sunt omnia alimenta nostra quàm ea quæ in Europâ usurpantur. Poup. Desp. mal. de St. Dom.

de calidis nostris regionibus dici debet. Inde ista bilioforum affectuum valida cohors quæ tam frequenter apud Americanas insulas caput extollit. Inde vitia quibus sæpissimè tentantur epigastrica organa : nam agnovit *Pouppé Desportes* hepar, splen pancreasque præcipuas in morbis insularum nostrarum agere tragædias (1). Ex nimia autem bilis ad intestina ventriculumque delatâ quantitate, acritateque quadam acquisitâ, fiunt cholera morbus (2), diarrhææ, dysentericæ, dolores colici (3), alique istius generis affectus tam sæpissimè apud nos observati. Grassantur & etiam ut plurimum febres ardentes, biliosæ, putridæ præsertim dum calori super^{ve}nerit aër humidus regnantes (4).

(1) Malad. de St. Doming. tom. 1. pag. 318.

(2) *Cùm & ipse calor immodicus sales oleaque corporis torreat quotidie & exacuat, fit major in dies majorque humorum acrimonia ; inde bilis acerrima : hinc cholera, hinc tormina sævissima, hinc putridæ febres.* Huxam opera tom. 1, pag. 259, & in aliâ ejusdem tomi primi paginâ (355) ait : *post fervidam æstatem constanter ferè sequuntur cholera, dysentericæ, alvi fluxus.*

(3) *Apud insulas caraïbum notissima est colicæ pictorum, ut potè quæ magnam vim hominum infestat.* Sydenham opera tom. 1, pag. 512.

(4) *Est calidi, est humidum laxare fibras : quid conjuncta !* Huxham.

Sic sæpissimè sese prodit febris quædam vulgò febris flava americana nuncupata , quam frequenter apud Barbados observavit *Hillary* , quamque in insulâ fandonicanâ valdè sævientem nomine *maladie de Siam* insignivit *Pouppé Desportes*. Nil aliud est quàm febris biliosæ , putridæ (1) , malignæ species Europæos præcipuè apud nos devenientes infestans , minùs autem insulares. Dirus morbus qui insidiosis valdèque periculosis sæpissimè stipatur symptomatibus , plurimosque ægrorum è medio tollit.

Spasmodici convulsivique affectus maximè quoque apud nos sunt familiares , ob magnum caloris gradum valdè systemati nervoso contrarium. » Les nerfs , ait *Zimmermann* , sont toujours le plus affectés de la chaleur (2) ». Sic *Gaubius* de nocivis calidæ atmosphæræ potestatibus differens , sequentia profert : » vis vitalis sensilior quidem & agilior , at robore , tenacitate , hinc » duratione minor , faciliùs in suis motibus turbanda (3). » Inde , factò levi ulcere natâve aliâ levi irritationis causâ , nascuntur sæpissimè spasmodici convulsivique affectus valdè noxii. Haud

(1) *Selle pyretol.* pag. 256.

(2) *Traité de l'expér.* tom. 2 , pag. 321.

(3) *Patholog.* pag. 151 & 162.

rarò observatur quædam spasmî species *tetani* nomine insignita , cui valdè obnoxii sunt regionum calidarum incolæ (1), præcipuè vigentibus pluviis , aut diem calidum excipiente frigidâ humidâque nocte. » Observantur nautæ , ait *Roupe* , in calidioribus climatibus , diris spasmodicis affectionibus torqueri , quæ à subito sufflaminatâ perpiratione inducuntur , & maximè noctu sub dio dormientes invadunt (2). » Apud nos etiam plurimùm viget maxillaris spasmus (*le mal de machoire*) quo sæpissimè corripuntur nigritarum infantes , elapsis paucis à nativitate diebus.

Calor corpora rarefacit. Ex illâ rarefactione fit , ut ait *Gaubius* , augmentum voluminis & magis quidem in fluidis quàm in solidis. Undè plenitudo vasorum & turgor , unde plethoræ symptomata quæ satis frequentibus venæ-sectionibus debellanda veniunt. Istis subitaneis signis plethoricis valdè sunt obnoxii apud insulas nostras advenientes Europæi , qui in genere temperamento robustiori copiosiorique sanguine donantur. Indè *Pouppé Desportes* , si morbis deprehenderentur , ut sæpè advenit ,

(1) *In Meridionalibus & Americanis multò frequentius occurrit tetanus. Vogel de cogn. & curand. morb. tom. 2., pag. 79.*

(2) *De morb. navig. pag. 281.*

eorum curam satis frequenter repetitâ venæ - sectione aggrediebatur , nec quidem infelici cum successu.

Si ad caput nimiâ quantitate ruat sanguis , quod sæpè ob nimium fit calorem , tunc nascuntur vehementissimi capitis dolores , inflammationesque apud nos satis frequentes. Observavit *Roupe* istos capitis dolores sub zonâ torridâ valdè apud nautas pertinaces , culminante sole incipere , cum calore increfcere , & aliquot horis post ejus occasum remittere. » Ægri , addit iste , lucem » quam maximè fugiunt , & loca caliginosa , » tenebrofaque quærunt (1). »

Ob caloris prædominium valdè adaugeri perspirationem necesse est (2). Sed haud rarò supprimitur

(1) De morb. navig. pag. 278.

(2) Dum humidum fit cutaneum organum , sicca manet alvus. Quod in nostris observatur regionibus in quibus omne ad cutem deferri videtur , dum alvus diù sistet. Non solum alvinæ , sed & aliæ etiam minui conspiciuntur secretiones , ut sunt urinæ , mucus narium , & apud mulieres fluxus menstruales , qui attamen citius apud nos quam in temperatis frigidisve regionibus sese monstrant ; certè ob omnium corporis partium evolutionem citius perfectam ; namque natura sub calidis climatibus magis acutè , si ita fas sit loqui , rapidoque cursu , in omnibus ferè suis operationibus , quàm sub aliis procedere videtur.

ista , si supervenerit nox humida frigidaque , præcipuè apud nigritas qui sub frigido humidoque tecto dormire solent. Indè catarrhales , quibus adeò sunt obnoxii isti , rheumaticique affectus , dolores colici , diarrhææ (1) , dysenteriae , spasmodicæ convulsivæque affectiones , ut jam superius dixi , valdè frequentes , morbus glandularis qui nil aliud est quàm obstructio glandularum lymphaticarum , aliique à suppressâ perspiratione nati. Idem etiam vigent affectus adveniente regnanteque hieme , frigidiorè scilicèt humidiorèque , ut jam notavimus , tempestate sub quâ tam altè caput extollunt affectus pituitosi , verminosi quibus infantes & præsertim nigritæ valdè sunt obnoxii.

» Leur sang , aït *Pouppé Desportes* de nigritis

(1) *Quando calori succedit frigidus humidus , constipata cute , ad interiora ruunt acres humores.* Huxham opera tom. 1 , pag. 355.

Ventriculum & intestina , adultâ æstate , atque autumnî initio , debilissima habemus , & excipiendæ recurrenti materiæ perspirabili præ aliâ quacumque parte opportuniora. Stoll. rat. med. tom. 3 , pag. 172.

On sait que la chaleur ouvre les pores , & excite une grande transpiration què l'air frais arrête subitement & avec danger vers le soir. Les humeurs qui devoient transpirer sont donc répercutées , se jettent sur les intestins &c. Rosen mal. des enf. pag. 86.

» loquens , est d'une qualité si propre à la pro-
 » duction des vers , qu'ils en meurent quelquefois
 » subitement. Ils en sont sur-tout attaqués dans
 » les saisons humides qui succèdent à un temps
 » chaud & sec (1). » Eadem sub tempestate fri-
 gidâ & humidâ augescunt scorbutici affectus qui-
 bus haud pauci apud nos laborant , præcipuè illi
 qui locos depressos , humidos , littora maris inco-
 lunt , piscibus , duris faleque conditis carnibus ves-
 cuntur , infalubres epotant aquas &c. Febribus
 etiam intermittentibus , regnante istâ tempe-
 state , haud rarò tentantur præcipuè quarta-

(1) Malad. de St. Doming. tom. 2 , pag. 271. Hic quoque recenseri debet vermis iste *vena medina* nuncupatus , colore albo subflavo donatus , ulnam longitudine excedens , sub cute jacens , vesiculam producens ; quâ apertâ , sensim & sine sensu detrahitur vermis : quæ operatio lenta diuturnaque est ob istius fractionis metum , quamque juvat olei applicatio , aliufve emollientis substantiæ in partem affectam. Vermibus istis valdè obnoxii sunt nigrity. Narrat *Pouppé Desportes* se quemdam servum habuisse cui plus quàm quinquaginta istorum extracti fuerant. Valdè quoque apud eosdem familiaris alia quædam vermium species vulgò dicta *le makeque* ad crura femoraque propè articulationes sub cute jacens , ut refert *Thion de la chaume* (vers. op. Doct. Lind. de morb. Europ. in calid. reg. tom. 1 , pag. 75) quamque apud quosdam è nostris servis olim infans observasse memini.

nīs (1) haud facilem curationem admittentibus ob easdem semper subsistentes causas eis ansam præbentes, frigidum scilicet humidumque aërem qui eis incrementa in dies inferre quamplurimum valet. Apud istorum locorum incolas sub omnibus ferè tempestatibus adest peculiaris quidam habitus cachecticus, maximaque propensio ad obstructions, hydropem, icterum aliasque cachecticarum affectionum species, quæ in istis præcipuè quartanarum febrium ut plurimum tristes sunt sequelæ.

Notandum autem venit quòd febres istæ inter-

(1) Febres quartanas quamdam cum scorbuticis affectionibus cognationem obtinere ex pluribus constat. Omnia enim quæ istis favent illis & etiam ansam præbere valent, uti sunt v. g. loci depressi, humidi, frigidi, maris littora, frigidum humidumque cælum, ut plerumque fit autumnali tempore, animi pathemata tristitia &c. Sciunt etiam omnes antiscorbuticarum plantarum succum ad istud febrium genus profligandum haud parùm conferre, ut ego propriâ novi experientiâ. Cæterùm istam nobis tradidit opinionem, in eximiis circa morbos chronicos prælectionibus Dominus *Vigarous* istius Universitatis Professor meritissimus, cui gratitudinis conjungi vinculis dulce mihi est, tum ob curas quas mihi morbo laboranti præbere, tum ob indulgentiâ quâ me sanum postea benigno vultu excipere dignatus est.

mittentes tam apud locos istos depressos, humidus & frigidos familiares rarius in ficcioribus calidioribusque, vigente præsertim æstate, observentur, ut adnotat *Zimmermann* qui nos docet in decursu morborum apud calidas regiones regnantium valdè acutè procedere naturam, uti jam superius circa omnes ejus operationes in genere observavimus. Si verò quandòque adveniat ut sub intermittentium typo prodeat morbus, illum diù servare non valet, brevi in continuum aut saltem ferè continuum abiturus. Sic quamdam duplicem tertianam (1) valdè, regnante æstivali tempore, apud fandinicanos sævientem observavit *Pouppé Desportes* quam fatetur ipse magnam ad typum continuum habuisse proclivitatem; sic ut primò sub ordine tertiano prodiret febris, quæ mox duplex tertiana evadebat, cujus dein jungebantur paroxysmi, ita ut levis tantum adesset remissio quæ nullo modo intermissio dici valebat. » Quoique la

(1) Istam duplicem tertianam in duas species dividit *Pouppé Desportes*, quarum unam duplicem tertianam biliosam vocat, infarctuique viscerum epigastricorum tribuit; alteram autem duplicem tertianam lymphaticam, cujus causam ad infarctum mesentericarum glandularum refert, & quæ, ut addit ipse, maximam cum febribus mesentericis à *Baglivi* in Italiâ observatis convenientiam habet.

» chaleur relâche les fibres , aït *Bosquillon* , elle
 » agit aussi comme *Stimulus*. C'est par cette rai-
 » son qu'elle peut changer les intermittentes en
 » rémittentes , & ces dernières en continues.
 » Ainsi les intermittentes du printemps se trans-
 » forment en fièvres continues , aux approches
 » de l'été¹¹ (1).

Nunc autem adnotandum venit morbis apud nos observatis sæpissimè supervenire malignitatem. Quod certè haud mirandum evadit , si observemus maximam febrium in nostris insulis vigentium constituere partem febres putridas , quæ tantam sibi adjungendi malignitatem habent facultatem. Adest prætereà apud insularum istarum incolas debilitas quædam veluti constitutionalis à calore vehementi sudoribusque copiosissimis , frequentioribus quibus sunt obnoxii inducta , cui favere haud parùm valent pertinaces validissimique eorum labores nec-non mensæ venerisque deliciæ quibus tam sæpissimè indulgere amant. Hæcce debilitas multum certè ad insidiosa lethaliaque procreanda phœnomena , si morbo corripiantur , confert.

(1) *Cullen* trad. par *Bosquill*. tom. 1 , pag. 80. Ipsum etiam consentaneum habemus *Hippocratem* in septimo tertii libri aphorismo sic se habente : *per squalores febres acutæ incidunt.*

Plurimi etiam vigent apud insulas americanas venerei affectus , ob libidines quas celebrare amant ferè omnes istarum incolæ , præsertim cum nigritis feminis viru venereo ut plurimum fœdatis. Haud tam difficilis eorum curatio in nostris observatur climatibus ac in Europâ (modò simplices recentefque sint) ob expansivam auctam vim quæ ad exteriora infectionis partem impellere valet , & fortè quoque ob calorem validiorem multum degenerationi mucosæ obstantem , quæ degeneratio plurimum virus venerei progressui favere observatur.

Inter omnes autem morborum in insulis nostris vigentium causas haud ultimum obtinent locum animi affectus. Quotidianâ observatur experiëntiâ quantus sit istorum in œconomiam animale fluxus. Respiratio , motus cordis , alimentorum coctio , nutritio , diversæ secretiones & excretiones , musculorum actio , quidquid tandem est functionum in corpore humano turbatur , depravatur , diversasque experitur mutationes sanitatis legibus quandòque & vitæ repugnantes. Inter præcipua autem ab animi affectibus producta phænomena valdè notandus venit iste peculiaris ad præcordia sensus quo stipantur isti , & cujus rationem præcipuis organis circà istam regionem sitis referre pronum est. Indè illa peculiaris istorum affectuum , tristium præsertim , facultas viscerum epi-

gastricorum functiones systemaque venæ-portarum conturbandi, cui haud parùm apud nos favere valent causæ quædam jam superius allatæ, æstus (1) nempe & humiditas aëris. Inde quoque fluxus hæmorrhoidales, abdominalium viscerum, hepatis

(1) Sciunt omnes systema venosum & arteriale sic se componere ut unum ex iis prædominium teneat, dum alterum quadam veluti passibilitate relativâ affici videatur. Sic v. g. apud juvenes in genere potestatem habet arteriarum systema. Indè isti valdè sunt obnoxii affectibus ab illo systemate pendentibus. Sic suprâ diaphragma ferè semper ægrotare observantur, præcipuè versùs pectus quod evidenter magis ad systema arteriale pertinet; dùm è contrà apud eos qui provectiorem attingere ætatem frequentiores sunt affectus infrâ diaphragma (aut saltem si superius adsint isti affectus, ad causam in abdomine latentem sæpissimè tanquàm ad primariam referri debent) ob prædominium systematis venæ-portarum quod certè præcipuam totius venarum systematis constituit partem. Tempestas hiemalis & regio frigida arteriis valdè favent, ut ex affectionibus in istis vigentibus constat; æstivalis verò tempestas & regio calida venoso systemati potestatem inferunt, ut probant affectus abdominalium viscerum in hisce regnantes. Indè observavit *Pouppé Desportes*, ut etiàm omnes apud insulas nostras Practici, plurimùm in istis prodesse venæ-sectio^{is} pedibus celebratam quæ directiùs systema venæ-portarum evacuare, visceraque abdominalia sublevare valet. Vide mal. de St. Doming. tom. 2, pag. 274.

præcipuè & lienis obstructions , iëterus , hydrops , aliique ab isto turbato systemate nati affectus.

In statu morbofo præsertim multa inferre noxia valent animi affectus. Sic v. g. in morbis exanthematicis ad interiora materiem impellunt , & ad nobiliora organa periculofum sæpissimè metastasim faciunt. Hæmorrhoidales aliosque morbosos fluxus sistunt, indèque multos cient affectus ab istâ suppressione pendentes. In decursu morborum, istis malignitatis characteres inducunt. Quod certè de terrore præsertim dici debet qui vires vitales tam subito frangere valet , ut vel sanissimis sæpissimè terribile objectum fugiendi facultatem tollat (1). » Terrorem , inquit *Stoll* , novimus nervoso imprimis » systemati inimicum (2) ». Refert *Pouppé Desportes* se plurimos in insulâ Sandominicanâ vidisse ægrotantes qui , etsi malè se non haberent , è medio tamen , ob terrorem inductum , tollebantur.

Hic quoque notanda venit valida apud Europæos nostris habitantes insulis divitias faciendi cupiditas , ut etiam diræ quibus cruciantur sollicitudines ne tam carissimas spes adversa decipiat

(1) *Barthez* nouv. élém. de la scienc. de l'homme pag. 37.

(2) *Rat. med.* tom. 2 , pag. 176.

fortuna. Nec prætereundi vani timores quibus , dum ad nostras adveniunt regiones , corripuntur plerique , ob validam morborum cohortem diram exerentem potestatem quam effugere sibi impossibile putant. Indè præ aliis facillimè morbis prædominium obtinentibus laborant. Timor enim debilitatem maximam omni systemati inducere valet , plurimùmque idcirco morbis epidemicè regnantibus disponere , ut sæpissimè fuit observatum (1). Eadem dici possunt de mœrore qui tantas omni systemati inducit affectiones præcipuè ven-

(1) Sic narrat *Riverius* eos qui , furente peste , metu corripuntur , facillimè isto morbo tentari. Sic etiam contendit *Willis* illos præcipuè variolis corripì , qui hunc valdè timeſcunt morbum. Istud veritati haud contrarium expertus sum ; nam agnovi ipſemet quemdam ex insulâ Sandominicanâ juvenem , domi mecum habitantem quâ variolis tunc per urbem epidemicè grassantibus laborabant infantes. Quod integro ferè mense nesciebat iste. Post mensem autem , nescio quâ de causâ , infantes variolis ægrotare sub eodem quo dormiebat tecto audivit. Subitò timore correptus se mortuum exclamat , brevique variolis laboraturum. Eum ne vanis timoribus nimium indulgeret in vanum suadebant amici : nulla enim prorsusque inutilia fuere eorum consilia , moxque , quibusdam elapsis diebus , variolis correptus fuit , vitâque haud multò post functus , ob validum mortis terrorem , magnamque virium prostrationem à vene-
reis mensalibusque olim deliciis inductam.

triculo & intestinis in quibus peculiarem , ut adnotat *Zimmermann* , habet actionem. » Mira , » ait *Stoll* , facultas mœroris est functiones » ventriculi , intestinorum ac hepatis conturbandi » (1) ». Inde appetitûs imminutio , digestionum depravatio , ventriculi ægritudines , flatus , dolores colici , aliique hujusce generis quibus valdè sunt obnoxii illi qui tristi lentoque huicce affectui indulgent. In genere queribundi , solitudinem amantes , stomachosique sunt & omnes ad eorum augendas sollicitudines studere credunt. Valdè , ait *Zimmermann* , ad morbos sunt proni ; dolores validiores à causâ minimâ patiuntur , facilèque , dùm ægrotant , ad mortem vergunt. Apud eos satis frequenter observantur cordis palpitationes , polyposæ concretiones , anevrismata varicesque , melancholia , desperatio , hypochondriaca passio nullis ferè medicinalibus remediis sananda &c. Apud mulieres menses suppressio , chlorosis , hysterici affectus &c.

Plurimum in nostris insulis viget istud lentum tristeque animi pathema , ob frequentes domesticas sollicitudines peculiare quibus valdè exponuntur istarum incolæ , quasque hîc referre longius foret. Maximè quoque est familiare nigritis

(1) Rat. med. tom. 3 , pag. 247.

fervis ex Africæ oris ad nostras adductis , quibus nulla patriam parentesque revivendi conceditur spes. Quis eorum miserabile fatum ficcis inspicere oculis ? Infelices heu ! quandòque omnia humanis respuentes auxilia , tristem doloris haurire amant voluptatem lentâ perfidâque manu lectum paratè supremum : aut si pepercerit mors , ad ultimâ desperationis gradum provecti , sibimet-ipsis , liquam deglutientes , ut aiunt , aliove modo vitam acquirere haud pertimescunt , se servitutine liberatos à parentes redituros sperantes , pedè-que libero atales terras iterùm pulsaturos.

Hæc sunt quæ circà insulas nostras Americanas in genere dicenda habebam ; quibus expositis , peculiaria quædam circà febrem flavam tam sæpissimè sævientem proferre in mente fuerat , sed deficiente tempore , vos , ô Lectores , ad *Hillary* , *Moultrie* , *Bruce* , *Pouppé Desportes* , aliosque mitto qui de istâ febre ejusque therapeiâ tam benè scripsere.

F I N I S.

ARGUMENTABUNTUR

ILLUSTRISSIMI PROFESSORES REGII

D. PAULUS-JOSEPHUS BARTHEL,

Universitatis Cancellarius.

D. GASPARDUS-JOANNES RENÉ, *Danus.*

D. ANTONIUS GOUAN, *Pro-Decanus.*

D. FRANCISCUS BROUSSONET.

D. FRANCISCUS VIGAROUS.

D. HENRICUS-LUDOVICUS BRUN.

D. HENRICUS FOUQUET.

D.

-hys-